



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 26. Ottonis Frisingensis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul XII. sensu adhibuisse, quo ex institutione
A.C. 1157. primæva linguæ Latinæ bonum factum
 significat, & sicut in universo Sacræ
 Scripturæ corpore invenitur. Ita etiam
 Papa illa verba sua explicat: *contulimus*
tibi Insigne Imperialis coronæ, & dicit,
 non alio in sensu fuisse posita, quam
coronam capiti tuo imposuimus. Alias
 interpretationes ejusmodi hominibus
 tribuit, qui pacem oderunt, & in fine
 Legatos suos Henricum & Hyacinthum
 Imperatori commendat, quos a se, sua-
 dente Henrico Duce Baviaræ & Saxoniar,
 missos dicit. Hæc Pontificis epistola
 c. 23. Imperatoris animum mitigavit, qui Le-
 gatis quædam alia exposuit, quæ, nisi
 tollerentur, discordiæ semina futura
 essent. Responderunt Legati, quæ Prin-
 cipi placitura sciebant, pollicentes, Pa-
 pam in omnibus Jura & dignitatem Im-
 perii esse conservaturum. Tunc vero
 Imperator edixit, se cum Papa & Clericis
 Romanis in gratiam rediturum, atque
 in bonæ fidei pignus Legatis præsentibus,
 affectu ad absentes extenso, osculum
 pacis dedit. Ita lætos & donis cumu-
 latus dimisit.

§. XXVI.

Ottonis Frisingensis extrema.

Otto Frisingensis inter comites Fride-
 ricum Imperatorem, nepotem suum,
 in

in Italiam proficiscentem secuturos, delectus fuerat, utpote in negotiis Imperii Consiliarius utilissimus. Sed ipse precibus obtinuit, ut in Germania remanere sibiliceret, cumque Imperatori valediceret, Ecclesie suae jura ei commendavit, praesertim libertatem electionis post mortem suam, quam non procul abesse credebat, motus non neminis admonitionibus, ut putabat, Divinitus acceptis. Tum ad suos reversus, iter arripuit, ad Cisterciense Capitulum se collaturus, & Morimundum, cujus Monasterii olim Abbas fuerat, jam ægro- tans pervenit. Substitit ergo, & morbo ingravescente, Extrema Unctione accepta, conditoque testamento, librum quem de Historia Friderici Imperatoris scripserat, sibi afferri jussit, eumque viris doctis & piis legendum dedit, ut corrigerent ea, quæ forte opinioni Gilberti Porretani faventia dixisset, ne cuiquam scandalum crearent. Se enim Fidem Catholicam secundum Regulam Ecclesie Romanæ seu potius Ecclesie Universalis velle defendere. Scrupulum, si bene conjicio, movebat, paulo acrior censura, qua S. Bernardum, tanquam Gilberto plus justo infensum, perstrinxerat.

Hæc publice professus Otto, Sacro viatico munitus, multis Episcopis Ab-

Hist. Eccles. Tom. XVII. U bati

Sæcul. XII.

A.C. 1158

Radev. 2.

c. 2.

*lib. I. c. 57**Sup. Lib.**LXIX.**S. 32.*

Sæcul. XII.
A. C. 1158.

Sup. Lib.
L. XIX.
§. 20. v. II.
6. 33.

batibusque circumstantibus, vigesima prima Septembris anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo animam Deo reddidit, postquam Ecclesiam Frisingensem annis viginti rexisset. Superfunt Ottonis Frisingensis duo Opera Historica, nempe Chronicum in septem libros divisum, quod a Creatione Mundi usque ad annum millesimum centesimum quadragessimum sextum deduxit. Huic Auctor librum octavum addidit, qui est Tractatus Theologicus de fine Mundi. Postea, Historiam Friderici Imperatoris exorsus, duos Libros composuit, gesta ab anno millesimo septuagesimo sexto, nempe a Schismate Guiberti contra Gregorium VII. usque ad annum millesimum centesimum quinquagesimum sextum continentes; idque opus Radevicus Ottonis Discipulus, & suæ Ecclesiæ Canonicus, profecutus est (*).

§. XXVII.

(*) In Historia Frisingensi præter alia istud Encomium additur: *Unde, Otto Noster, in Episcopum Frisingensem assumptus doctrina, pietate, morum gravitate totam Europam mirabiliter illustravit, Et post multa Sanctitatis opera in proprio monasterio feliciter vitam finivit. Ex Menelog. Cisterciensi. Tum P. Meichelbeck: Ad sepulchrum ejus miracula patrata esse etiam Gewoldus in Hundianæ Metropolis Additioni-*